1249. Cisterziensisches Archiv(?)

Morbio 17 (21)

Anno Domini millesimo cc xlviiii indictione vii vi kalendas octobris. Notum sit omnibus quod ego Jacobus Barberii sacri imperii notarius confiteor et recognosco me vidisse litteras summi pontificis non abolitas non cancellatas nec in aliqua parte sui viciatas sigillo plumbeo pendente cum seta sigillatas quarum tenor talis erat. Honorius episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis abbati Cistercii et universis coabbatibus eius et fratribus sub eodem ordine Deo servientibus salutem et apostolicam benedictionem. Contingit interdum quod nonnulli propriis incumbentes affecti(bus) quorundam sanctionum sensum legittimum ad sua vota non habentes accomodum super inducunt adulterinum intellectum in temporali compendio eternum dispendium non timentes. Sane quia sicut audivimus quidam suo nimis inherentes ingenio nunquam voluntarii concilii generalis interpretes de novalibus post predictum concilium acquisitis a vobis intendunt decimas extorquere, ne super hiis vos contingat indebita molestatione vexari nos interpretationem illorum intellectus constitutionis predicti concilii super Cisterciensium decimis edite asserimus pregnanam(?). In ipsa quidem expresse cavetur ut de alienis terris amodo acquirendis si eas propriis manibus aut sumptibus colueritis decimas persolvatis ecclesiis quibus ratione prediorum antea solvebantur. Unde si ad ipsum positam aciem discretionis extenderent advertentes nichilominus de quibus novalibus apostolica sedes intelligat indulgentiam super talibus vestris locis concessam non sic circa novalia nove interpretationis lubrico ingenia fatigarent. Inhibemus igitur auctoritate presencium ut nullus a vobis de novalibus a tempore concilii excultis vel in posterum propriis manibus aut sumptibus excolendis decimas exigere vel extorquere presumat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre prohibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani xiii kalendas Januarii pontificatus nostri anno tercio.

Et ego Jacobus Barberii supradictus nichil addito vel remoto de verbo ad verbum scripsi et tradidi feliciter.

Signum supra scripti notarii

Johannes Dei gratia Bellicensis ecclesie episcopus universis Christi fidelibus salutem in Domino Jhesu Christo. Noveritis nos vidisse litteras summi pontificis ut superius continetur non abolitas non cancellatas nec in aliqua parte sui viciatas bulla plumbea pendente cum seta bullatas in cuius rei testimonium hiis presentibus sigillum nostrum iussimus appendendum.

P. Dei gratia Gratianopolitanus ecclesie episcopus universis Christi fidelibus salutem in Domino. Noveritis nos vidisse litteras summi pontificis prout superius continetur non abolitas non cancellatas nec in aliqua parte viciatas sigillo plumbeo pendente cum seta sigillatas nichil addito vel remoto seu subtracto. In cuius rei testimonium hiis presentibus sigillum nostrum iussimus inserendum.

7

Morbio 17 (21)

1249

Exemplum generalis privilegii Honorii pp. concessi totius ordinis Cysterciensis quod sunt exempti et non debeant solvere decimas novalium ut hic copit

Brondolo — N° ~~68~~ —

Brondolo N° 108